

ad extra, ita & vires illæ debeantur, eaque de causa & Deo Patri & Filio Conversio tribuatur. *Job. VI, 44. Matth. XXI, 37.* nihilominus tamen Spiritui S. peculiari ratione sæpe Scriptura S. id ipsum adscribit ut patet ex *Genes. VI, 3. Job. XVI, 8. seq. I. Cor. VI, 11.* & alibi passim. Confirmant hoc ipsum Patres quoque Ecclesiæ, ita enim *Ambrosius in expositione proœmii Evangelii S. Luca: Christus, ut id, quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur.* Et *Gregorius Nazianzenus oratione in Pentecosten. qui dedit, quod primum est, dabit & secundum: qui dedit credere, dabit & confiteri.* Sæpius contra Pelagianos id confirmat *Augustinus.* Sufficiat nunc adduxisse locum ex *epist. c. VII,* ubi adductis *Ps. XXXVI.* verbis: *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet,* hoc dictum esse notat: *ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus.* Non enim ait Scriptura *à Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit, sed diriguntur, inquit & volet.* Non igitur, quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur, volet. Notatu digna sunt verba *Concilii Arausicani Can. 5.* *Si quis, sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratie donum, id est per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Hinc Theologi DEum, & per appropriationem Spiritum S. dicunt esse causam Efficientem Conversionis, ut patet ex *solida declaratione loc. de libero Arbitrio p. 676.* Ubi verba ita habent; *Cum questio sit de causa Efficiente, hoc est quisnam hac in nobis opere-*

opere.